non postulastis. Litigatis inquit et belligeratis
propter temporalem gloriam neque hanc obtinere
ualetis propter hoc nimirum quia a domino postulare
non curastis ut ipse uobis salutaria quaeque conferret.
Petitis et non accipitis eo quod male petatis ut in
concupiscentiis uestris insumatis. Predixerat
eos postulare et non dicit eos male petere. Quia quicumque
male petit iam non in conspectu interni testis nihil
petere uidetur. Male petit qui domini iussa contempnens
a domino beneficia superna desiderat. Male petit
et ille qui amisso amore supernorum infirma tantum
quaerit bona percipere et haec non ad sustentationem
humanae fragilitatis sed ad redundantiam
liberae uoluptatis. Hoc est enim quod ait ut
in concupiscentiis uestris insumatis. Adulteri
nescitis quia amicitia huius mundi inimica est deo.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 262, p. 47 – Beda in epistolas canonicas (http://www.e-codices.ch/it/csg/0262/47)